



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Compendiolvm Historiæ Trivm Martyrvm E Societate Iesv, in Iaponia Crucifixorum

Collaço, Antonio

Coloniae, 1628

urn:nbn:de:hbz:466:1-45069



53

Th. 2553.


K

L

19







COMPENDIOLVM
HISTORIAE
TRIVM MARTYRVVM
E SOCIETATE IESV, in Iaponia
Crucifixorum, cum alijs viginti-
tribus, quorum sex erant Religio-
si PROFESSI, ex Sacro S. Fran-
cisci Ordine, de Obser-
uantia nuncu-
pato,

*Partim ex P. FRANCISCO SOLIERIO GALLO,
in historia Ecclesiastica Iaponia 10. lib.
Gallicè conscripta.*

*Partim ex P. LVDOVICO FROES LVSITANO,
in relatione anni 1597. Latinè edita,
desumptum.*


Cui accessit 1. Illustris. Cardinalium de hisce
Martyribus sententia. 2. Summi Pon-
tificis Urbani VIII. de ijsdem
diploma.



COLONIAE,

Apud IOANNEM KINCKIVM, sub Mono-
crotæ. Anno M. DC, XXVIII.

EFFIGIES CRVCIS
Iaponicæ.



Syllabus huius Compendioli.
Complectitur paragraphos 7. quo-
rum hæc summa est.

1. *Quis fuerit Ecclesia Iaponica status ante hanc persecutionem.*
2. *Novæ persecutionis. Eiusq; Cause.*
3. *Varij motus ac fructus in Patribus Societatis, alijsq; Christianis.*
4. *Quosdam Regis sententia comprehenderit.*
5. *Diarium eorum, quæ Beatis Martyribus euenerunt ab 8. Decemb. ad 4. Febr.*
6. *ACTVS CRUCIFIXIONIS 5. Febr. peractus Nungasachi.*
7. *Pietas Christianorum. Cardinalium sententia, atque ipsa Summi Pontificis definitio, siue diploma.*

A 2

Le.

Lectori Beneuolo S.

Quoniam Summus Pontifex **VR-**
BANVS VIII. precedente admo-
dum accurato Illustriss. Cardinalium
(ex sacra rituum congregatione) ex-
amine definiuit: Tribus è societate
nostra, cum alijs 23. pro fide Catho-
lica crucifixis, **SS. MARTYRVM**
honorem deferrì posse; operæ pretium vi-
sum, si paucis quibusdam, de Ecclesia
Iaponica initio, ac progressu prælibatis,
Compendium breue passionis **TRIUM**
MARTYRVM è Societate **IESV**
(Nam Reuerendi Patres Francisca-
ni, suos etiam, ex proprijs monimen-
tis celebrabant) ex historia illius anni
1597. typis ederetur, ex qua rudis ali-
qua cognitio hauriri posset, illius perse-
cutionis, quæ in posteros propagata,
etiamnum durat, multis Heroibus for-
tissimis, Fidei Christianæ veritatem,
fuso sanguine contestantibus; donec
plenior aliquando **SANCTORVM**
ECCLESIAE IAPONICAE MAR-
TYRVM

TYRVM HISTORIA concinnetur;
ad laudem Omnipotentis Dei, qui nouis-
simis hisce temporibus, novos fidei Ca-
tholica testes, primis illis ECCLE-
SIAE PRIMITIVAE MARTYRI-
BUS non dissimiles excitauit, ad Here-
ticos iusto pudore afficiendos, & Ca-
tholicos nouo feruore in-
flammandos.



A 3

§. I. Quis

9. 1. Quis fuerit Ecclesia Iaponica
status ante hanc persecutionem.

VT melius Ecclesie statum, ante
persecutionem anno 1597. mo-
ram intelligamus, quinque preliban-
da videntur, quae P. Franciscus Solie-
rius Tom. 1. Ecclesiast. Iaponum historia
libris 10. fuse persequitur. 1. Iapo-
niae breuissima descriptio. 2. Fidei
Christianae apud Iapones initia &
propagatio. 3. qualis persecutio an-
no 1587. incepta fuerit. 4. quomodo
in ea Patres Societatis IESU se gef-
ferint. 5. quomodo illa persecutio
paulatim sopita videretur.

1. Iapon, siue Iapan, est in Oceano
Orientali Insularum plurimum (in-
ter quas, tres sunt praecipuae. 1. Ni-
phon. 2. Ximus. 3. Xicocus) multitu-
do, quae a gradu latitudinis Borea-
lis 30. ad 38. vel circiter, extensa, 66.
regna continet, e quibus, quisquis
illa quinque, quae vulgo Guquinaij
dicuntur, obtinuerit, is Dominus.

T E N.

TENSAE, & quasi Imperator habetur. Eum olim *Dairum* vocabant, qui duos habebat Proreges, & quasi belli duces, quos *Cubos* nominabant. Sed cum ante annos 680. aut paulò plures, quidam *Dairus*, Republica neglecta delicijs se deditisset, *Cuborum* alter, Conforte non repugnante, Monarchiam inuasit. Et quamuis Nobilitas ad arma conuolasset, non tam ut *Dairum* tueretur, quam ut ré quisque suam meliorem faceret, *Cubus* tamen ille tandem Superior factus, *Dairum* præcipua bonorum parte spoliavit; alijs nihilo-minus nomen *Iacatae* (quod regem designat) vsurpâtibus; *Dairo* fere nudum nomē, cum quibusdam priuilegijs, quæ aliquando Nobilibus elargitur, retinente. Hincque tot regna in regione cæteroqui non ita ampla, ac spatiosa, originem suam traxerunt.

2. In hūc ergo Terræ, Marisque tra-

8 *Hist. 3. Martyrum*
etum, S. FRANCISCUS XAVE-
RIVS (qui anno 1621. in Sanctorum
Canonem sub glorioso INDIA-
RVM, ac IAPONIAE APOSTOLI
titulo, relatus est) fidei Catholicae
lumen, quod constet, primus intulit,
ann. Domini 1548. cum decennio
ante, Lusitanorum classes mercimo-
niorum causa, ea loca adire oc-
cepissent. Postmodum *S. Xaverio*
circa annum 1552. humanis erepto,
alij ex eadem Societate, illius suc-
cessores eandem provinciam, fide
ac bonis moribus ita informandam
susceperunt, ut usque ad annum 1595.
soli, ex omnibus religiosis in ea ver-
sati sint. Initia praedicationis Evan-
gelicae fatis laeta, atque pacata fue-
re, saltem a publicis contra religio-
nem Christianam tumultibus (quan-
tis BONZII *idolorum apud Iaponios,*
sacerdotes, multa contra Euangelium
Verbis factisque mouere non desi-
sterent.) Deo, uti apparet, pacem
hanc

Soc. Iesu in Iaponia

hanc, ad breue tempus prouidente,
vt lex Christiana in Iaponiorum
animis eas radices ageret, vt ne
grauiori quidem persecutione, e-
uelli posset. Nam *primus Cubus*, qui
post legem Euangelicam, in eas o-
ras illatam, 18. annis, rerum potitus
est, S. Francisco eiusque socijs (præ-
cipuè P. Gaspari Vilelæ) plurimum
fauit; atque eo, per insidias suorum
sublato, *Nabunanga*, qui rei militari,
sub *Canadono Voycata*, Superioris
Cubi fratre, vltra annos 16. præfuit,
felicem Euangelij. cursum nunquã
impediuit. *Faxiba* autem, (qui sus-
cepto post Nabunangæ necem, an-
no 1582. imperio. *Quabacondonus*; eo-
demque anno 1595. in Nepotem suũ
Dainangandonum translato, *Tayco*,
vel *Taycosama* i. (Supremus Dominus
dici voluit) initio regni sui, non raro
eximia quædam beneuolentiæ si-
gna, in Patres Societatis, atque in
Christianos ab ipsis conuersos, vnã

cum Mandocorolama vxore ostendit. Hincq; factum, vt res Christiana, bellè admodum, toto imperij ipsius quinquennio procederent, ac copiosi etiam fructus, ex Euangelij femente, à varijs eiusdem Societatis Patribus (qui in eo *Domini agro*, nauiter atq; egregiè laborabant) iactâ succrescerent; donec anno 1587. mutata repenti voluntate, Quabacondonus persecutionem exorsus est.

3. Huius verò persecutionis *duæ* potissimum *causæ* fuerunt. *Prior Quabacondoni superbia*, ex duobus præcipuè orta, tum quod putaret se à Lusitanis contemptum, cum nauem immensæ magnitudinis (qualis ijs locis visa nunquam fuerat) Facatam, vbi tunc verlabatur, propter maris in ijs insulis pericula, non adduxissent; tum quod vellet inter Deos, prout apud Gentiles fit (propter bellica facinora, in Iaponia ferè tota sibi subiicienda commissa) referri, nec putaret

putaret se hoc ipsum per dominos Christianos, qui multum in Iaponia poterant, obtinere posse. Posterior fuit ex parte *Iacumi Bonzij*, ac Medici, quem quasi Regis Lenonem, cum Virgines Christianæ, non minus virtute, quam genere nobiles, ad regia lenocinia inuitatæ reiecissent, ille in Christianorum perniciem coniuravit, effecitque Primò, vt Quabacondonus Iustum Vcondonum, Christianorum Antesignanum, Euangelio renunciare nolentem omnibus bonis, officijs, ac honorum titulis priuaret; Deinde vt edictum euulgaret, quo legē Christianam, tota Iaponia promulgari vetabat, & Patres Societatis IESU omnes tanquam publicos eiusdem legis præcones, extra Iaponici Imperij fines, intra dies 20. deportari mandabat.

4. Hoc edicto accepto R. P. Viceprouincialis, ne regem magis

A 6 gis

gis irritaret, se eius voluntati pariturum respondit, laxiorem tamen terminum petens, eò quòd nulla iam esset in Iaponiæ littoribus nauis, cum qua ante annum dimidia- tum in Indiam vnà cum suis (et- iam si quam maximè vellet) nauigare posset. Deinde scriptis ad va- rios Dominos, non tantum Christi- anos, sed etiam gentiles, ipsamque Quabacondoni vxorē, litteris, ten- tauit an aliqua ratione, offensum Regis animum placare posset. Ad- hęc coacto apud Firandenses præci- puorum Patrum coetu, & consilio cum Regibus, ac Principibus Chri- stianis habito, multæ huic tempori accommoda statuit, inter quæ fuē- re hæc quatuor. 1. vt à Deo pete- rent, vt Rege volente, illis in Iapo- nia esse liceret. 2. Id si non concederetur, non videri tamen Christianos in tali necessitate deserendos, sed a- nimam potius, ab vnoquoque pro
Fidei

Fidei dilatatione offerendam. 3. Diligentissimè cauendum, ne qua offensionis causa Regi præbeatur; sed mutato aliquantum habitu, Ecclesijsque publicis occlusis, Christiani in priuatis ædibus atque oratorijs, per conciones, ac SS. Sacramentorū administrationē (*more apud SS. Apostolos, eorumq; successores, in primitiua Ecclesia recepto*) instituerentur, ac conseruarentur. 4. vt quoniam ante Lusitanæ nauis discessum, 5. aut 6. mēses superessēt, quiuis è Societate (quales 87. numero erant) per penitentia, orationum, & mortificationum exercitia, sese præpararet, ad ea toleranda, quæ diuinæ Bonitati, in ipsos permittere placuisset: Quia probabile videbatur Quabacondonum mortis sententiam contra illos pronunciaturum, si eos, edicto suo neglecto, in Iaponia remansisse cōperisset. Nihilominus, Deo, cor Regis moderante effectū est, vt quā-

uis post Lusitanæ nauis discessum
(in qua pauci è Societate ad spe-
ciem quandam externam, propter
ordines suscipiendos, cum nullus ibi
tunc Episcopus foret, in Indiam de-
uehebantur) vehementer excande-
scens, domos Patrum (quas, Ozacæ,
Meaci, ac Sacai habebant) euerti cu-
rarit; simulque Sacella 20. intra Me-
acum, Sacaiumque erecta (in qui-
bus 35. Christianorum millia nume-
rabantur) solo æquari iusserit; Post-
ea tamen propter Lusitanorum cõ-
mercia, regno vtilissima, paulatim i-
ta placatus est, vt & 10. Patribus at-
que extra ordinẽ P. Rodrigues suo
interpreti Nangasachi (edificata per
Lusitanos domo atque Ecclesia,
per Ministros regios paulò antè e-
uersis) potestatem habitandi fece-
rit; & P. Alexandrum Valignanum,
cum 4. Dominis Iaponijs (qui Ro-
mam profecti Gregorio 13. Regum
Christianorum nomine, post SS. pe-
dum

dum oscula obedientiam promiserant) ad se venientem, tãquam Proregis Indiæ Legatum honorificè suscepit, illumq; etiam tãquam suũ ad eundem Proregẽ Legatum futurũ designarit. Quin & Reuerendis. atque Illustris. Dominum D. Petrum de Martinez, nouum Iaponiæ Episcopum ex India recens iussu Pontificis missum, atque ad se salutandum aduentem, vnã cum suis omnibus valdè amicè atque beneuolè suscepit, atque tractarit. Ex quibus omnibus, alijsq; similibus multi augurabantur futurum, vt Rex aut edictũ suum contra Societatẽ aliã promulgatũ, antiquaret atque renocaret; aut certè à persequendis Christianis prorsus desisteret. Sed sequens turbo (aliunde exortus) rem, ac spem tantã, leuissimo momento (vt paulò post dicitur) penitus disiecit atq; dissipauit. 5. *Tantus autem fructus, hoc prime per-*

per-

persecutionis tempore, tam in hominibus Societatis (qui à numero octoginta septem capitum ad centum triginta quatuor ascenderunt) quàm in reliquis Christianis factus est, vt præter probatã, decennio toto tot millium veteranorum virtutem, plura quam 65. Gentilium millia, contempto quouis periculo, intra paucos hosce annos, sacris baptismi aquis abluta fuerint. Neque ignorabat Rex, Patres Societatis in Iaponia remansisse, sed factum sibi satis declarabat, quod patres mutato aliquantulum habitu (incedentes scilicet eo habitu, quo Iaponij seculo valedicentes vti solent) à publicis concionibus abstinerent, ac mandati Regij præuaricatores haberi formidarent.

§. 2. Persecutio noua, eiusq; causa.

CVm anno 1593. Patres quidam è Sacra S. Francisci familia, ex Philippinis Insulis (quæ Hispanis siue

ue

ue Castellanis, non Lusitanis parét) à Governatore, in Iaponiam, tanquã Legati ad Regem missi essent; fuere ab eodem honorificè (prout Legatis conueniebat) Ozacæ excepti, sed ita, vt legatione absoluta, ad suos reuerti iuberentur, eò quòd Rex nollet legem Christianam, in suo imperio prædicari. Illis verò vrgentibus, vt liceret saltem magnifica eius opera Meaci lustrare, quæ ad suos reuersi commendarent, primo hoc ipsum illis permissum est. deinde duorum Ethnicorum Equitum operà, impetratus est illis extra Meacum ad habitationem construendam locus, sed ea cautione, ne legem Euangelicam annunciarent. Quam conditionem cum zelo dilatandæ fidei incensi non seruassent, offensus Rex nouam persecutionem anno 1597. circa diẽ 8. Decemb. excitauit. Cuius quinque causæ afferri possunt. *prima est*, quã hic pau-
lò

Iò antè insinuauì, quod Patres Fran-
 ciscani còtra expressum Regis man-
 datum, Euangelium publicè annun-
 tiauerunt. Et hæc sola causa, in senten-
 tia condemnationis (vt §. 5. 2. Ia-
 nuar. videre est) proponitur. *Secunda*
causa fuit, ex parte *Iacini* ex Bon-
 ziorù secta, Medici, verè Epicurei,
 & Idololatriæ (in speciem saltem)
 in primis addicti, qui hanc persecu-
 tionem (vt etiam in priore fecerat)
 flabello suæ linguæ suscitauit, dum
 apud Regem multa, etiam supra
 Veritatem, de legis Christianæ præ-
 conibus deblaterat. *Tertiam* dedit
 Gemonogius Meaci superioris Gu-
 bernator, qui cùm missus esset in
 Tozzam insulam (quò nauis quæ-
 dam ex Philippinis Insulis Mexi-
 cum tendens, tempestatibus iactata
 appulerat) vt eiusdem nauis mer-
 ces, more apud Iaponios recepto,
 Regi vindicaret; ipse inde rediens
 multa retulit, quæ malè à Rege ac-
 cepta

cepta sunt, vt inter alia, merces in ea naui paucas contineri, sed arma plurima, ac nonnullos etiam religiosos, quos, alias ob causas forte submitti inuuebat. Hincque orta est *quarta* persecutionis causa, ex suspicione scilicet Regis ipsius, qui cum paruulum filium anno 1595. natum haberet, timebat ne quis sibi aut filio regnum eriperet (vnde & cognatum suum, ad mortem sibi inferendam ante biennium adegerat) & nunc quoniam audierat Castellanos noua regna circa Mexicum inuasisse, suspicabatur hæc arma in Iaponiæ perniciem præparata, ipsosque religiosos clam submissos, vt animos Christianorum, à se auersos, ad exteros, quos breui subsequuturos suspicabatur, traducerent. *5. causam* dedere Gibonoscius, ac Gemonogius, duo Meaci Gubernatores, qui à Fuscigaua (Patrum Franciscanorum Patrono) eiusque filio

Vfioio

Vfioio offēfi, quod, eos quibusdam rebus ad suam gubernationem spectantibus immiscuisse se iudicarent, Patres Franciscanos, tanquam eorum clientes, apud Regem accusarunt, proferentes in eam rem, partē epistolę Tarazauandoni, Nangafachani Gubernatoris, eosdem Patres (præ alijs) grauius incusantis. Ex quibus omnibus effectū, vt Rex offēsus, Patres, quod Euangelium prædicassent, in crucem (more Iaponico) sublato necari mandaret.

§. 3. *Diuerfi motus ac fructus, in PP. Societatis alijsq; Christianis.*

HAc Regis sententia, incerto rumore (ex varijs narrationibus) ad 8. Decemb. audita, mirabiles facti sunt in PP. Societatis IESV, atque in diuersis Christianis eorum discipulis animorum motus, adeo vt multi tempus iam adesse existimarent, ac publicè etiam iactarent,
quo

quo fidem suam in Christum Dominum, atque in supplicijs omnibus pro eadem fide sustinendis, cōstantiam tandem aliquando protestarentur. Itaque nulla ferè prouincia, nulla vrbs in tota Iaponia fuit (ad quā Christianæ fidei cognitio peruenerat) in qua Christiani ferè omnes non ostenderint admirandam in fide Christiana retinenda constantiam, aut ingens sanguinis proprii pro eadem fide profundendi desiderium signis euidentissimis indicarint. Ex infinitis propè, quæ hic dici possent, pauca seligam, ex quibus, de alijs, quæ omnino silentur coniectura fiat. Inprimis P. Organinus (qui ad 26. annos in Iaponicæ Ecclesiæ vinea laboriosè, ac fructuosè colenda posuerat) Domino Iosepho, ex præcipuis Iaponicæ magnatibus hortanti (etiam cum lachrymis) vt domo excederet, antequam custodia ædibus Societatis adhi-

adhi-

adhiberetur, respondit: Domine, desiderium nostrū, ac gloria est, pro Christi nomine, atque Euangelij prædicatione, quamcumque contumeliam, immodè & mortem ipsam sustinere. Quare etiam parati sumus ad mille mortes pro Domino, cui seruiamus, & pro salute Christianorum, quorum causa ex tam remotis regionibus, per tot terra, mariq; discrimina huc venimus, fortiter perferendas. An ergo existimas latebrarum beneficio, defugiendam nunc mortem quam Christus Dominus noster, hac tam sancta, ac gloriosa occasione nobis offert, mortem, inquam, quæ paulò ante à nobis tantopere desiderata fugiebat. Et quavis ea nocte domo exierit, ne Christianos (vt Domini obijciebant) secum periculis inuolueret, postea tamè audito Regis respòso, ad Vfiouiū, & Cicugendonum dato, teneri non potuit à Christianis, quo minus in proposito sese sponte sua ad martyrium offerendi, perseueraret, dicens

gens: Alij suum consilium sequantur.
Ego quid huic affecta mea etati conue-
niat, probè noui. Viginti & amplius an-
nos, Christianam religionem in hisce
partibus Meacensibus, vtcunque foueo
sustentoq; & nunc quando tempus est
in publicum prodeundi, viliter me in
latebras conijciam? absit à me. sic enim
nec honori diuino, nec vinculo, quo So-
cietati obstrictus sum, vnquam satis fe-
cero. Quocirca Deo benè propitio, cras
summo diluculo me do in viam Mea-
cum versus, vt in crucem agar, vel certè
vt naribus, auribusq; mutiler, aut tan-
dem, vt mecum, tanquam cum Euāgelij
præcone, id agatur, quod illis collibitum
fuerit. Quibus auditis P. Roderighes
subiecit se Patri comitem futurum.
Christianis eorum fortitudinem
mirantibus, ac nonnullis etiam di-
cētibus, illud S. Thomæ, Ioan. xi. ea-
mus & nos, & moriamur cum illo, sic-
que nono Decemb. iter Meacense
ingressi sunt cum Paulo Amacusa,
ac

ac fratres Societatis IESU, qui Meaci habitabant, de hac regis sententia monuerunt, qui hunc nuncium pro iucundissimo excipientes, seque mutuo animantes, in omnes futuros casus se communierunt, atque idem Iusto Vcundono, alijsque quibusdam Christianis significarunt; qui illicò ad ædes nostras aduolarunt, vt vna cum fratribus tam honorificam mortem præstolarentur. Paulus autem Amacuzæ cum litteras quasdam ad Mariam Ciuam Fuscimo datas (de Patrum morte) legi audisset, domum rediens dixit. *Tandem Patres, Fratresque charissimi, tempus illuxit, sanguinem profundendi, pro illo Domino, qui amore nostri profudit suum.* Quo audito, singuli cœperunt intendere præparationi, tam interiori (vt animus ritè disponderetur) quam exteriori, vt vestes, ac stolæ concinnarentur, quibus singuli tanquam germani Societatis IESU filij, atque

Euan-

Euangelij præcones in theatrum
prodirent. Alij tres, qui negotijs oc-
cupati domo abfuerant, cum no-
strorum nomina Meaci inscriberē-
tur, petierunt à superiore vt sibi
nomina sua apud Iudicem profiteri
liceret. Quibus responsum exspe-
ctarent, donec de causa huius fen-
tentia constaret. Si enim de fide
agatur, omnes (sine dubio) ad bra-
uium euolatuos. Vincentius autem
è præcipuis Iaponia concionatori-
bus ac interpretibus vnus, cum Na-
ræ (quæ est Academia Ethnicorum,
diei itinere Meaco distans) à fratre
per litteras inuitatus fuisse (vt si
Martyrij particeps fieri videret, sta-
tim aduolaret) statim, nulla mora
interposita, prima luce Meacum ve-
nit, ne gloriosam palmam negligere-
ret. Inter externos familiam duxit,
Magnus ille Christi Athleta, Iustus
Vcundonus, qui etsi in priori perse-
cutione, omnibus bonis, ac honori-

B

bus

bus propter fidem exutus fuisset, ac postea propter vitæ prioris merita veniam impetrasset; nunc tamen audito hoc (de Christianorum nece) rumore, Fusiamum profectus, Cicugendono à quo exul sustentationem habuerat, duo vasa apud Iaponios valde pretiosa (vt facile quinque scutatorum millibus æstimarentur) ei secreto obtulit, vt ijs post mortem (quam pro fide obire statuisset) pro suo arbitratu vteretur. Cumque ille omnem Regis iram in solos Patres Franciscanos ferri diceret, Iustus sui consolandi causa, id dici ratus, in proposito cōstans permansit, eamque constantiā Cicugendonus, præclarè coram pluribus, qui in eius palatio aderant, collaudauit. Ad Iustum proximè accesserunt Paulus & Constantinus duo filij Genesuin, qui est vnus ex 4. præcipuis aulæ Regiæ præfectis, adhuc Ethnicus. Huic cum Paulus
filius

filius de suscepta à se Christiana religione indicasset; respondit parens: *Hoc tibi confirmo, si Rex Christianos occidi iubeat, me tibi non parciturum.* Cui Constantinus: *Hoc ipsum est, inquit, quod desidero. Nam quod Christianum me esse indicarim, nō ideo feci, ut me neci eximeres, sed potius ut à te damna omnia auerterē.* Cum autem timeret, ne si habitu ordinario incederet (erat enim iam Tambē præfectus) voto Martyrij priuaretur, eo quod Regis Ministri vererentur manus in ipsum (licet se Christianum fateretur) iniicere, statuit capillum radere, & clerici habitum assumere; ut sic facilius voti sui cōpos; fieret immò re postea certius comperta (quod de omnibus Christianis non ageretur) dixit, se nō minori nunc mœrore (de corona Martyrij delata) affici, quam prius lætitia (ob eandem speratam) affectus fuisset. Constantinus autem

(Pauli frater) & Michaël eius cognatus, cum 9. Decemb. rumore iam dissipato, Meacum ad Patres Societatis venissent, re intellecta gratulabūdi dixere: *O quā opportune huc aduenimus! operā certē hac vice dabimus, vt quantumcunque tanto bono indigni, in numerum martyrum accenseamur.* Ita abiectam quandā domunculam, ædibus Patrum vicinam ingressi sunt, occasionem martyrij ibidem præstolantes. Non dissimilia dici possent, non tantum de Ioanne eorundem cognato, aut de Cuirodono genere illustribus, sed etiam de alijs virtute claris, vt de Victore Gubernatoris Ozacani secretario, ac Andrea Ongazafaua hospite nostro, qui cum audissent paucos Iaponios, vnā cum Patribus, supplicio afficiendos, inter se sancta contentione disceptarunt, vtri eorum beata illa fors deberetur. Quin imo cū ex hac Regis offensione, quidam
Ethai-

Ethnici Praefecti occasionem sumerent Christianos persequendi, vnus inter alios ita restitit, vt dixerit; *occidere me potes; sed adigere, vt fidem deseram, non potes.* Plura in ipsa relatione anni 1597. videri possunt, maximè fol. 28. 29. 31. 47. 49. & seqq. item fol. 60. 65. & seqq. 68.

§. 4. *Quosnam Regis sententia comprehenderit.*

INitio quidem rumor sparsus est, quasi Rex omnes Christianos, aut certè omnes Euangelij pracones necari iussisset, quod quidem fundamentum habere potuit, vel ex errore vulgi, vel ex instabili ipsius Regis sermone ac voluntate. Nam cum vulgus omnes Christianos, Patres vocet, ex illo factum, vt audito Patrum nomine, populus de Christianis omnib. intelligeret. Et Rex ipse in hoc genere satis instabilis fuit, Nunc cum Vfoio dixit : *vtrosque*

B. 3. (Patres

(Patres Societatis & Franciscanos)
 poenam suo sanguine luituros; nunc
 cum Cicugendono eius iram sedan-
 ti respondit: *tollam tantum ex illis 5.*
Velio; reliquos ludibrio expositos post
precisas nares atque aures in regionem
suam amandabo. Undecimo autē De-
 cemb. Fuscimi ad se vocato Gibo-
 nescio mandauit, vt *Patres oēs morte*
multaret 12. tamen eiusdem mensis,
 eidem, vt sententiam suam clarius
 explicaret roganti, respondit *se de*
Patribus Philippinis tantum intellexisse,
 ob suspicionem Iaponiæ (opera eo-
 rum, vt supra §. 2. causa 4. est ex-
 plicatum) inuadendæ; Patres vero
 Societatis, & maximè P. Ioannem
 Rodrighes suum interpretem, vna
 cum Episcopo alijsque eius comiti-
 bus prorsus excepit, iussitque hæc
 ipsa, illis statim nuntiari. Si quis au-
 tem quærat, i. cur Rex Patres Soci-
 etatis qui ab anno 1548. Euangeliū
 in Iaponia prædicabant, ac plus quā
 tre-

trecenta animarum millia sub sua cura habebant, exceperit? Huic respondendum: *principem huius rei causam, Dei prouidentiam videri*, qua effectum, vt sublatis dissensionum seminibus, sex Patres Franciscani, aditum ad martyrij palmam inuenirent; alij 5. ad suos redirent, vineaque Ecclesiae Iaponicae, sacro martyrum sanguine irrigata, vberiores in posterum fructus daret. Præterea si ad humanæ rationis calculos rem totam exigere velimus, tres videntur causæ fuisse, cur Rex, Patres Societatis ab hac mortis sententia exemerit. prima sumi potest, ex studio populi, quo in illos tanquã in Magistros suos feruntur, & ex prudentia, qua Patres ita hæctenus moderatè processerunt, vt nullam illi offensionis causam darent. Altera fuit ipsius Episcopi in Iaponiam aduentus, & legatio ab Indiæ Prorege aliàs ad ipsum missa. Tertia denique

fuit ex commercio valdè utili,
 quod toti regno per nauem Lusita-
 nam infertur, quod dissolutum iri
 patebat, si eorum Patres Spiritales
 atque interpretes, eadem cum alijs
 sentètia inuoluisset. Si idem præte-
 rea vrgeat: Si Patres Societatis Re-
 gis sententia comprehensi non fue-
 rint, cur ergo **TRES MARTYRES**
 (de quibus hic præcipuè agimus)
 martyrio vna cum alijs affecti fue-
 rint? Huic responderi potest, i. id ab
 Ozacensi Governatore factum, qui
 cum statim initio (ante sententiam
 legis clarè explicatam) hos tres in-
 scribi ac custodiri mandasset, eos-
 dem, ne quidem post sentètiã ex-
 plicatã dimisit, sed Meacum, vna
 cum alijs 4. misit, siue hoc ex seipso
 fecerit, siue monitu Fescigameꝝ ami-
 ci sui, qui Patres Societatis vna cum
 alijs puniri volebat. 2. Adhæc cum
 P. Organtinus; per certos homines,
 id ipsum Gibonoscio Meaci 1. Ia-

ma.

nuarij nuntiaffet, respondit ille; dolere se de infelici casu, sed non videre remedium, eo quod veredum sit, ne, si Regem alloquatur, existimantem, nullum Ozacæ fuisse, ille ira inflammatus; (vt mutabilis est ac præceps) omnes in crucem agi iubeat. 3. præcipuè cum *noster Paulus Michi* vnà cum socijs ad mortem pro Christo tolerandam anhelaret. Sic ergo res tota à Patribus Societatis (cum suo officio hoc tempore satisfecisse viderentur) diuinæ providentiæ, cum summa voluntatis resignatione commendata est.

§. 5. *Diarium eorum, quæ B. B. Martyribus euenerunt ab 8. Decemb.*

ad 5. Februarij.

8. Decemb. cum ex causis §. 7. dictis persecutio erupisset, 9. Decemb. descripta sunt Ozacæ, trium Martyrum nostrorum nomina, à Ministris Gubernatoris, & ædibus ad-

B. 5; hibita.

nibita custodia. 10. *Decemb.* Meaci duorum fratrum nomina descripta sunt, atque ædes vicinis, vt eas custodirent, commendatæ. 11. *Decemb.* Rex Fuscimi agens Patres (in genere) occidi mandauit. 12. *Decemb.* Rex Gibonoscio clarius edicit: se de Patribus Philippinis tantum locutum esse. Itaque Patres Societatis exemit, eisque hoc significari præcepit. Gibonoscius Vicario Meacensi ad se Fuscimum vocato mandat, vt catalogum faciat eorum, qui Patribus Franciscanis familiares essent. Post descriptum bis, teruè Catalogum, tandem ex omnibus 12. selecti, nec quicquam amplius in hac causa factum vsque ad 30. *Decemb.* eò quod Gibonoscius speraret Regem placari posse, vt solo Patrum exilio contentus esset. 30. *Decemb.* Iacuinus cum Rege agens, vrfit sententiæ executionem, quam Rex Ozacam profecturus, Gibonoscio

noscio feriò mandat. 1. Ianuarij Me-
aci 5. Patres Franciscani cum 12. dis-
cipulis, ex monasterio educti, in
vincula apud Gubernatoris Vica-
rium conijciuntur, Ozaca adducun-
tur Tres è Societate Meacum, cum
vno P. Franciscano Sacerdote & tri-
bus socijs. 2. Ian. allatæ sunt circa
vesperam Gibonoscij ad suum Vi-
carium littere, quibus mandabat, vt
Regis sententiam exequeretur. Ea
nocte Paulus Michi, eo spiritu atque
efficacitate dixit de Baptismo, pas-
sione Domini, ac Martyrij laude, vt
omnes mirarentur, ac duo se bap-
tismum suscepturos sponderent.
3. Ian. Martyribus 24. numero, ex
Meaco inferiori, in superius dedu-
ctis, pars auris finistræ per carnificẽ
abscissa atque in terram abiecta est.
Sed reliquias Trium nostrorum,
cum Victor Ozacani Gubernato-
ris Secretarius sustulisset è terra,
eas ad P. Organtinum detulit, ille-

que cum lacrymis, mœrore ac gaudio mistis, illas, tanquam Ecclesie Iaponicæ flores atque primitias Deo obtulit. Deinde terni in vnũ carrum cõscendere iussi. (tres è Societate vltimum obtinebant, à militibus Præfecti Ozacensis cincti) [per totam vrbẽ ad ludibrium (sed Christianis ad commiserationem) traducti, in carcerem tandem reuertuntur. Præferebatur autem carris ipsis in præalto hastili tabella, mortis sententiam, causamque continens in hunc modum! Quoniam hi homines ex Philippinis venere quasi Legati, & tamen remanserunt Meaci, vt legem Christianam prædicarent, quod ego illis superioribus annis seuerè prohibueram, mando vt omnes, vnà cum ijs, qui Christianæ legi nominæ dederunt, è medio tollantur. Itaque hi 24. crucifigentur. Nangasachi. Et quoniam rursus dictam legem in futurum tempus prohibeo, omnes hoc norint, & mando vt fiat executio, si quis.

Si quis autem edicto meo non paruerit, cum vniuersa familia sua multabitur.
Anno I. Cheicij ad 10. luna vndecima.
Ante carcerem Paulus Michi, è Societate, Patribus Franciscanis, post suauissimos amplexus, gratias egit, quod nostri sub eorum vmbra, tantum beneficij, à diuina misericordia consecuti essent, obstupescentibus militibus; alijsque aurigis cum dicerent: *vnde hoc hominum genus, qui talia agant! vbi terrarum inueniri possent, qui perinde atque isti exultent in probris & cõtumelijs!* quod autem auris particula tantum abscissa sit, cum Rex de naribus, auribus truncandis locutus esset, id videtur ex Gibonoscij misericordia factum esse. 4. Ian. Cohors prænobilis, iumentis imposita, Ozacam, atq; Sacaium deducta est, atque vtrobiq; per Vias publicas ignominiosè proposita. Sacaiò mandatum, vt itinere terrestri (ad maius odium & hor-

B. 7 rorem

rorem Christianæ legis incutiendum) Nangasachum (quod 600. passuum millibus abest) deducerentur. 9. Ian. Sacaio digressi per varia loca traducti sunt, donec 31. Ian. Facatam deuenirent, vnde Regis litteræ ad Fazamburum perlatæ sunt. 1. Februarii ventum est in Corazum, vbi Fazāburus cum Satellitibus præstolabatur. Qui cum veteri amicitia, *Paulum Michi*, è Societate IESV Concionatorem, sibi olim notum, salutasset, magnum de hoc infelici (vt ipse iudicabat) casu commiserationis affectū ostendens: *Paulus* ei, qui cum magna animi, vultusque serenitate respondit, *Mori*, inquit *Domine pro lege diuina, & doctrinæ cœlesti. hominibus tradita, non est commiserationis, sed potius letitiæ ac hilaritatis materia.* Tum petijt idem *Paulus* vnâ cum Patribus Franciscanis, vt, omnibus ac singulis ante mortem, Nangasachi

fachi, potestas fieret confitendi & communicandi; quod omnibus liberaliter promisit, sed postea, non eadem promptitudine (vt paulò post videbitur præstitit. Tanta denique lætitia, patientia, ac fortitudine Beati Martyres, hoc iter (quãuis longum, difficile ac diuturnum) confecerunt, vt omnes obstupuerint, ac Bonziji ipsi asseuerarint: *Hanc optimam esse viam legis Euangelicæ dilatandæ, atque propagandæ.* In relatione anni 97. fol. 65. 2. Februar. peruenerunt Zucasachum, in regno Figen. 3. Febr. perducti sunt Sonochum in ditione Omurana situm. 4. Febr. Sononchi affuerunt P. Pafius ac P. Rodrighes à P. Viceprovinciale missi, vt reis adesset, ac Sacramenta ministrarent. Eos itaque amicè complexi, venia vtrimque petita, Nangasachum profecti sunt; captiui autem 26. in naues coniecti per 7. leucarum spatium deducti sunt

funt

sunt in portum Conchizanum, Nā-
gafacho vicinum, atque ea nocte,
in naui, aspera hyeme, multa passi
sunt, eo quod tumultum (ob Chri-
stianorum multitudinem) veriti,
eos in urbem (vbi cæteroqui hos-
pitia parata fuerant) inducere no-
luerint. Nam biduo antè Fazambu-
rus, Regis literis de hac executione
acceptis, 50. cruces parari iusserat,
cum tamen captiui tantum 26. ef-
fent, ita mirus Martyrij ardor, in
omnibus Christianis (Lusitanis ac
Iaponijs) excitatus est. Ne mireris
autem *Beneuole Lector*; quod hic ca-
ptiui 26. numerentur, cum Meaci-
tatum 24. fuerint. Id ex eo factum,
quod milites qui sæpius in itinere
mutabantur, duos Christianos, qui
à P. Organtino, alijsque Christianis
missi fuerant, vt necessaria captiuis
ministrarent, eos cæterorum more
vixerint, & Fazāburo tradiderint,
hac sua forte valdè lætos; vndè etiā
euenit, vt liberari noluerint. §. 6.

§. 6. Actus ipse Crucifixionis.

Die 5. Febr. in festo S. Agathæ, Fazamburus Vicarius Nangasachanus, prima luce Patribus Societ. significauit, vt mitteretur P. Pafius, se curaturum, vt tres captiui ex Societate (& non alij) confiterentur, se aliud hoc tempore concedere non posse. De viatico rogatus dixit, illo opus non videri, cum pro Christo occumberent. Mox P. Pafius cum famulo Fazamburi abiit Ucacamum, vbi in *Xenodochio Misericordiu* tres nostri confessione peracta, vota (more in Societate vsitato) renouarunt. P. Pafium, nomine P. Viceprovincialis complexi, reliqui interim varijs exercitijs intenti Deo se commendabāt. Inde P. Pafius ad Fazamburum (qui ad locum supplicij præcesserat) contendens facultatem petijt captiuos ad fortiter moriendū exhortandi, quam ægrè obtinuit. Interea P. Rodrighes quibusdam
Deo.

Deo reconciliatis, atque ad constantiam erectis, eos versus Fazamburum lætos, hilaresque deduxit, qui tantam hilaritatem in tam funesto supplicio admirans, causam petijt. Cui P. Pafius, causam exposuit; sed quia *non capiebat ea, quæ sunt Spiritus*, respondit causam bonam videri; se tamen crucem non electurum. Actum deinde de liberandis duobus illis qui à militibus in via capti, Regis sententia non comprehendebantur; sed Vicarius sibi hoc licere negavit, ne pecunia corruptus videretur. Hinc res tota Deo commissa, & illi læti, hilaresque ad locum supplicij perrexerunt. Episcopus verò Nangafachi tunc degens, cum aliud ei per Vicarium non liceret, eos salutandos curavit largamque illis benedictionem concessit. Pater autem Commissarius, suo, suorumque nomine, veniam ab eodem petijt. Decreuerat quidem Vicarius
urbis,

urbis, illos in vſitato ſupplicij loco,
è medio tollere, ſed Luſitanorum
rogatu, ſententiam mutauit, iubens
cruces deſerri ad montis planitiem
(*monti Caluaria ferè ſimilem*) quæ
26. cruces caperet. Ibi enim Luſita-
ni (pace reddita) Eccleſiam, *nomine*
B. Virginis ad martyres erigere ſta-
tuerant. Ad hunc ergo locum cum
Chriſti milites perueniſſent, Fa-
zamburus curauit totum montem
à militibus Salepo lanceaue inſtru-
ctis circumdari, ſpatio 7. vel 8. paſ-
ſuum inter ipſos, ac cruces relicto;
nec paſſus eſt quenquam propius
aſſiſtere, præter Juſtitiaë miniſtros,
& duos è Societate Patres, qui mo-
rituros ad cōſtantiam hortarentur.
Sed illis morituris opus non erat,
cum *Spiritu Dei pleni*, ad ſupplicium
læti conuolarent. Fuerunt autem
omnes, quaſi temporis puncto, acti
in crucem, eò quod quilibet ſuum
haberet attributum miniſtrū, & o-
mnia

omnia necessaria singulis parata essent ad manum. Inter religiosos Societatis *primus* erat (sed inter omnes ordine quintus) *Iacobus siue Didacus Quizai*, vir 64. annorum, Christianus perantiquus, ac boni exempli. Is receperat se in Societatem, ut Deo se totum dederet. Itaque magna charitate, rerum externarum curam gessit: meditandæ passioni peculiariter erat addictus. *Secundus* è Societate (ordine sextus) fuit *Paulus Michi* trium annorum supra triginta, à puero sacris aquis tinctus & ante undecim annos prius in Societatem receptus. Concionator eximius erat, magnoque ardebat zelo iuuandi proximum, Velut ex eo, quod iam dicam colligi potest. Decem vel duodecim diebus, antè attributas Ozacæ ædibus nostris excubias, obuiam forte factus turbæ ex Magistratus edicto deducentis hominem Ethnicum, ob nescio quod scelus,

scelus, ad supplicium, magno animo, facta per confertam multitudinem via, penetrat ad reum, concionatur homini usque ad locum, ubi capite erat multandus; cedentem veritati baptizat, & inuocantem nomen IESU & Mariæ in cœlum mittit. Hic idem Paulus Michi iam cruci affixus, videns se consistere in suggestu omnium, quos vnquam habuerat, honoratissimo, primum circumstantibus aperuit se Iaponium & de Societate IESU esse, moriq; propter annunciatum Euangelium, & gratias Deo ob beneficium tam eximium agere; deinde hæc verba subiecit: Cùm ad hoc temporis punctum peruenerim, è vobis neminem esse optior, qui me credat, velle parcere veritati. Declaro itaque vobis, nullam esse ad salutem viam, nisi quam tenent Christiani. Quæcùm doceat me ignoscere inimicis, & omnibus, qui me offenderunt, ego libenter Regi, omnibusque meæ mortis autoribus

ribus ignosco, eosque rogo, vt Christiano
baptismo initiari velint. Hinc oculis
in Socios cōuersis, cœpit eos, in hoc
extremo conflictu animare : in
quorum omnium vultibus, lætitia
quædam apparebat. *Tertius è Socie-*
tate (sed inter omnes, ordine 8.) fuit
Ioannes oriundus *Goto*, insula non ita
magna, in qua anno 1590. plus quam
1500. Christiani viuebant. Hic *Io-*
annes tantum 19. annos natus erat, à
prima pueritia in fide institutus, ac
demum in Societatem propter mo-
res suauissimos, & spem egregiam,
quam de se concitabat, adscriptus.

R. P. Commissarius, alijque e-
ius socij, multa in hoc toto mar-
tyrio, præclarè fecerunt, ac dixe-
runt, quæ à Reuer. Patribus Fran-
ciscanis narrabuntur. Nobis enim
tantum propositum fuit *de tribus ex*
Societate IESV Martyribus, hæc pau-
ca scribere. In quibus tamen silen-
dum non videtur illud *de Petro Su-*
chegiro

Chegoro (inter crucifixos ordine, tertio, & vno ex duobus *Adauctis*) quod eum P. *Organtinus*, Societatis IESV Sacerdos, Meaco miserat, vt tribus è Societate captiuus (si quid illis in itinere deesset) necessaria ministraret. Quod dum ingenti caritate perficit, à militibus, qui captiuos deducebant, in ipso itinere vinctus, ac reliquorum more habitus, *Fazamburo* denique vnà cum cæteris, per ministros regios traditus est. Vnde nec à P. *Rodrigues* (vt paulo ante dictum est) liberari potuit. Sed *Petrus* sua sorte admodum letus, martyrium vnà cum alijs forti animo perpeffus est, magnum caritatis ac misericordiæ suæ fructum ferens, vt qui *Martyres suscepit*, (ijs seruiendo) *mercedem Martyrum reciperet*, vnà cum illis moriendo Crucibus ad extremum defixis, carnifices 4. lanceas vaginis exemerunt (quorum conspectu *Christiani*

Christiani

Christiani exclamarunt, (IESU, MARIA)
 & sic vno alteroue ictu, intra tem-
 pus breuissimum omnes exanima-
 runt. Si quis verò adhuc vitæ signū
 daret, eum ictu repetito, confodie-
 bant. Atq; hic fuit felicissimus exi-
 tus *BB. Martyrum*, qui mira fortitu-
 dine, quasi de spe cælestis regni cer-
 ti, libentes, volentesque mortem
 tolerarunt, ac gloriosam ex hoste
 superato, retulere victoriam.

§. 7. *Christianorum in BB. Martyres*
pietas, Cardinalium sententia, atque
ipsius Pontificis definitio.

Martyribus, hac ratione, per 4.
 carnifices breui interfectis,
 videre licuit admirandum Christia-
 norum, qui extra septum circumsta-
 bant, ardorem, qui per medios fa-
 tellites, fuituario eorum neglecto,
 ad cruces accurrere, alij vt sudaria
 sua Martyrum sanguine imbue-
 rent, alij vt ex vestium limbo ali-
 quid detraherent, aliqui, vt reliqui-
 arum

arum loco, aliud aliquid auferrent. Et quamuis Fazamburus non parum succenseret ijs, qui sancta quadam vi, reliquias quasdam è seruis Dei eripuissent, ideoque mandasset satellitibus, vt fustibus cogere omnes, ad repetendum Nangasachum; tamen postquam domum reliquit, tam multi vndique cõfluxere, vt aliquid de vestibus Martyrum abscinderent, vt multi in crucibus manserint non satis decenter contenti, & singillatim nouem religiosi. Quare prouisor confraternitatis misericordie, eorum corpora, certis storeis, loco vestium, operiri curauit. Eadem religione multi etiam è remotis regionibus, tanto numero concurrere, vt Fazamburus cõpulsus fuerit duplicatis custodibus, aditum eis præcludere; ipsisque militum ducibus sub vitæ amittendæ pœna mandare, ne vllum crucifixorum corpus sinerent auferri. Verum

50 *Hist. 3. Martyrum*
nec hac seueritate cohiberi potuit
eorum pietas. Per multi enim præ-
textu aliorum negotiorum, versus
collem illum deflectebant, tantum
vt reliquias seruorum Dei venera-
rentur. Multa alia in hoc argumēto
adiungi possent, quę breuitatis cau-
sa prætermitto. Id tantum dico, ex
glorioso hoc Martyrio illum exti-
tisse fructum, vt omnes Christiani,
tam veteres, quam noui, egregiè in
sancta fide sint confirmati, viuum-
que æternæ salutis desiderium in se
excitarint, ac firmiter apud animū
suum constituerint, pro confes-
sione Christiani nominis vitā profun-
dere. Ipsi quoque Ethnici, qui spe-
ctaculo interfuerunt, hac admiran-
da BB. Martyrum fortitudine ac
gaudio vehementer commoti sunt,
vt nonnulli iam Nangasachum ad-
uenerint sacri lauacri suscipiendi
causa, quod enixè efflagitant. Cū
verò Christianorum pietas hisce

30. annis (ab anno 1597. ad 1627.) multum creuisset, notataque essent nonnulla, quæ ab ipsis interea facta erant miracula, ac testimonia; hæc omnia, ab Ordinario Iaponicæ Ecclesiæ Episcopo examinata, ac testibus, publicisque iudicijs etiam firmata, atque approbata: insuper Proregis Indiæ studio ac sumptu in Lusitaniam missa, ad Summum Pontificem, tanquam Supremum Christi in terris Vicarium ac totius Ecclesiæ Catholicæ caput, perlata sunt, vt eius vnus iudicio tanquam certissima in rebus præcipè fidei, & ijs quæ toti Ecclesiæ præscribuntur, regula dijudicarentur. Præsertim cum ad diuinam prouidentiam pertineat, vt docet D. Thomas quodlibeto 9. a. 13. Et Gregorius de Valentia To. 3. disput. 1. Quest. 6. punct. 7. ne illum in tanto negotio errare permittat. Quæuis enim (vt ex Bellarm. T. 1. Controu. 7. de beatitud. l. 1. c. 7. &

tribus seqq. atque ex Nicolao Serario
 lib. 7. litanent. à c. 8. ad 14. liquere po-
 rest) initio Ecclesię multis tanquam
 verè sanctis, sine vlllo publico Ec-
 clesię Canonismo consueti in Ec-
 clesia Catholica honores ex instin-
 ctu Spiritus sancti ex solo Christiani
 populi affectu atque iudicio delati
 fuerint; accedente priuata quoran-
 dam Episcoporum authoritate (vt
 videre est in S. Cypriano lib. 3. Epistol.
 6. atque in S. August. in Breuiculo col-
 lationis 3. cap. 13. tamen quoniam de-
 prehensum fuit, priuatos homines
 hac in re decipi, atque à satana qui
 in Angelum lucis se transfigur at, delu-
 di posse (prout re ipsa factum narret
 & Seuerus Sulpitius, à S. Martino,
 & Optatus Mileuitanus Episcopus
 l. i. contra Donatistas) ideò Eccle-
 sia posterioribus sæculis tum in Iu-
 re Canonico. Cap. Audimus, & cap.
 Cum ex eo, de reliquijs & Veneratione
 Sanctorū, tum in Sacris Concilijs sta-
 tuit

tuit hanc potestatem, soli Episcoporum
Episcopo, ac Primati, Pontifici inquam
Maximo, concedendam esse, qui adhi-
bere solet, Dilectorum suorum FRA-
TRVM S. R. E. Cardinalium con-
siliium, quò omnia, in Ecclesia, vt præ-
cipit Apostolus, rectè atque secun-
dum ordinem fiant. I. cor. 14. 40. Ita-
que sub Sixto V. Pontif. Max. inter
alias Congregationes ad publi-
cum Ecclesiæ bonum constitutas,
erecta est vna, Congregatio Sa-
crorum Rituum dicta, in qua hæ ac
complures eiusdem generis quæ-
stiones, ac dubitationes, morali fal-
tem certitudine, determinari pos-
sent; ea tamen ratione, vt extrema
falterm earum cognitio, ac resolu-
tio, ad ipsum supremum Ecclesiæ
caput, hoc est, ad Summum Ponti-
ficem referretur. Quamobrem de
hac ipsa præsentì BB. Martyrum bea-
tificatione, ac secuturo etiam eo-
rundem Canonismo, ita Sacra Ri-

tuam Congregatio mense Iulio pronunciauit: In causa Canonizationis 26. Martyrum, referente Illustrissimo Cardinali Muto, sacra Rituum Congregatio censuit: constare de Martyrio & miraculis, ideoq; si Sanctissimo placuerit, deueniri posse ad actualem Beatificationem, & Canonizationem. 5. Iulij, Ann. 1627.

Summus autem Pontifex, Urbanus VIII. accepta hac, ab Illustriss. S. R. E. Cardinalibus ac ROTAE Iudicibus informatione, suam ipsemet sententiam, ratione presentis Beatificationis ac securæ suo tempore Canonizationis, hisce verbis expressit:

Saluatoris, & Domini nostri IESU Christi, qui Milites suos inclytos, quorum mors pretiosa est in conspectu eius, immortalitatis corona donat in Cælis, vices quamquam immeriti gerentis in terris, pia Christi fidelium præsertim Catholicorum Regum vota, per que eorum

randē Sanctorum militū veneratio promouetur, & laudatur Dominus in Sanctis suis, ad exauditionis gratiā libenter admittimus, fauoribusq; & gratijs prosequimur oportunis. Cum itaque sicut dilecti filij Præpositus Generalis & Presbyteri Societatis IESU nobis nuper exponi fecerunt, Venerabiles Fratres nostri S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus præpositi, in causa Canonizationis triū Martyrum, videlicet PAULI MICHIACIO IOANNIS de GOTO, & DIDACI QUIZAI ex dicta Societate, qui pro Christi nomine in oppido Ciuitate nuncupata Nangasaku extra muros in regno Iaponia crucifixi, & transuerberati fuerunt, in Sacro Rota Auditorio, & deinde de mandato nostro ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio nostro Tiberio Tituli S. Priscæ Presbytero Cardinale Muto nuncupato, discussa, censuerunt constare de Martyrio, & miraculis. Ideoque ad ætuablem illorum Canonizationem quã-

docunque deueniri posse. Præpositus vero, & Presbyteri prædicti pro eo, quem erga ipsos Sanctos Martyres gerunt, deuotionis affectu, Officium & Missam de illis, donec ad solemnem eorum Canonizationem (pro qua non solum ijdē Præpositus & Presbyteri, verum etiam charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Catholicus, ac charissima in Christo filia nostra Isabella Regina Catholica Hispaniarum, nec non vniuersa ciuitas Manilen. & Chinen. seu Machouen, alijsque Nobis per eorum litteras, ad Nos transmissas humiliter supplicarunt) deueniatur, vt infra recitari posse plurimum desiderent. Nos pijs ipsorum Præpositi, & Presbyterorum votis, quantum in Domino possumus annuere, illosque specialibus fauoribus & gratijs. prosequi volentes, eorumque singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspens. & interdicti, alijsq; Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis

Soc. Iesu in Iaponia 17

occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existerent, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutas fore censentes. Supplicationibus Praepositi, ac Presbyterorum praedictorum nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: De eorundem Cardinalium consilio: ut de eisdem Martyribus, ab omnibus dictae Societatis Religiosis, ubique existentibus, officium, & Missa de communi plurimorum Martyrum, die eorum Natali, videlicet, die quinta Februarij recitari, & celebrari respectuè libere, & licite possit, & valeat, Apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam, & facultatem concedimus, & impartimur. Non obstant. Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, ut praesentium transumptis etiã impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personae in dignitate Ecclesiastica

astica

38 *Hist. 3. Martyrum*
stica constituta munitis, eadem prorsus
fides ubique adhibeatur, quæ ipsis præ-
sentibus adhiberetur, si forent exhibitæ,
vel ostensa. Datum Romæ apud S. Ma-
riam maiorē, sub annulo Piscatoris, die
15. Septembris. M. DC. XXVII.
Pontificatus nostri Anno quinto.

M. A. Maraldus

Loco annuli Piscatoris

Romæ ex Typogra-
phia Reu. Camere
Apostolicæ. M.
DC. XXVII.

Et


ET hæc quidem de TRIBVS
SOCIETATIS IESV MAR-
TYRIBVS dicta sunt. Nam Re-
uerendos Patres Franciscanos de
Obferuantia, ex proprijs monimen-
tis, vt in præfatiuncula ad Lectorem
monui, celebraturos confidimus,
tum sex suos professos, tum eorum
(vti relatio fol. 41. & 42. appellat)
familiares atque discipulos.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.
















Th
2553